

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9585

Auteur(s) : Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Gruchet-le-Valasse, Notre-Dame du Vœu du Valasse (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1190, 20 mars

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard [Ier], roi d'Angleterre, concède et confirme la dotation faite aux moines de Notre-Dame du Vœu (Le Valasse) par son père le roi Henri [II] et sa grand-mère Mathilde l'Emperess, ainsi que les donations faites par plusieurs donateurs. Le roi ordonne également que les moines et leurs hommes et biens soient exemptés de tous les droits et coutumes séculiers.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Arch. dép. Seine-Maritime, 18Hp1.

Dissertation critique

Transcription : Tamiko Fournier-Fujimoto

Texte d'après A

RICARDUS Dei gratia rex Anglie, dux Normannie, Aquitanie, comes Andegavie, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciariis, vicecomitibus, ballivis, ministris et omnibus fidelibus suis, salutem. Sciatis nos pro salute anime nostre et pro anima patris nostri regis H[enrici] et pro animabus omnibus antecessorum et successorum nostrorum concessisse et presenti carta confirmasse in liberam et puram et perpetuam elemosinam Deo et ecclesie Sancte Marie de Voto et monachis ibidem Deo servientibus, dotem quam dominus rex H[enricus] pater noster in dedicatione ejusdem ecclesie eis dedit et per anulum suum super altare optulit, qui ob hujus rei testimonium juxta sigillum nostrum est appensus, videlicet terram et nemus in foresta Insule Bone, sicut calceia dividit, que protenditur ab Insula Bona ad Sanctum Romanum, et inde per Oiseleriam et Rames et Gomervillam et per Novam Villam et per Magnam Vallem usque ad Bolebeck, et inde per vallem usque ad calceiam ante nominatam. Concessimus etiam et confirmamus eidem ecclesie Sancte Marie et monachis ejusdem loci, omnes elemosinas et donationes et libertates eis factas, quorumcunque donatorum fuerint, sicut carte et scripta donatorum rationabiliter testantur. Ex dono scilicet regis H[enrici] patris nostri et imperatricis Matildis avie nostre, Vallem omnem in qua fundata est ecclesia que est de dominico nostro, inter Insulam Bonam et Bolebek, et in foresta Fiscanni totam terram quam mete ibi posite designant, et terram et boscum de Parvo Becko sicut divide demonstrant et in foresta Fiscanni omnia aisiamenta sua cum libertate pasnagii et pasture et materiem lignorum ad edificia facienda et ad ignem et cetera sibi necessaria similiter in foresta Insule Bone. Ex dono comitis Mollenti totam haiam de Lintot cum omnibus pertinentiis suis et libertatibus et sex milia allectium apod Ponte Aldemari prima ebdomada

XLe, et duos hospites in eadem villa liberos et quietos ab omni consuetudine, et unum millium anguillarum apud Brionnam, ad Purificationem sancte Marie. Et quandam terram juxta forestam de Vellebec et quietantiam per totam terram suam ab omni consuetudine. Ex dono comitis Giffardi unum pondus salis apud Loiram. Ex dono Mathei de Gerardvilla unum pondus salis in eadem villa. Ex dono Magistri Roberti de Buttelles unam salinam apud Butteilles. Ex dono Roberti de Angervilla, unam salinam apud Gunfarvillam. Ex dono Ricardi de Molines, quasdam terras apud Gunfrevillam. Ex dono Walteri de Molines, campum de Porta et campum de Aldebertot, et tenementum trium hominum. Ex dono et venditione Fulcherii et Thome des Maiseres et Willelmi Britonis et Bernardi et aliorum plurium, quasdam terras in territorio de Gunfrevilla. Ex dono Ricardi de Goscekinmaisnil, unum hospitem apud Esteinhus. Ex dono Roberti de Buievilla, totam terram quam Robertus de Juvenni dedit ei pro pro (sic) servitio suo in vastacione foreste Fiscanni, quam donationem Robertus et Galfridus de Juvenni sigilli suis confirmaverunt. Ex dono Symonis Lochepeis, unum hospitem apud Winemervillam. Ex dono Willelmi Martel et Symonis sacerdotis et Roberti de Bernouvilla, tres maisuras apud Estrutat. Ex dono Laurentii archidiaconi, unum masuagium apud Sanctum Vivianum. Ex dono Ricardi de Vernun, passagium vini eorum quietum apud Vernun. Ex dono abbatis et conventus Sancti Petri Gemetricensis, quietantiam per omnes portus suos Secane ad proprios usus. Ex dono abbatis et conventus Fiscanni decimam terrarum quas monachi habent in foresta Fiscanni. Ex dono Godardi de Vallibus, quietantiam in mercatu suo, ipsis et hominibus eorum et unum mas[u]agium apud Godardvillam. Ex dono comitis Augi, quietantiam per totam terram suam. Ex dono Henrici de Novo Burgo, domum emptam a Teroldo clerico. Ex dono Thome de Monteauero, domum unam apud Pontem Aldemari. Ex dono Roberti de Gloeestra, unum hospitem et medietatem molendini apud Bolebek. Ex dono Nicholai Portesel, unum masuagium apud Bloppunt. Preterea concessimus eis et confirmamus omnes acquisitiones et elemosinas et libertates quas juste et rationabiliter acquisierint. Quare volumus et firmiter precipimus quod predicta ecclesia Sancte Marie de Voto et monachi ejusdem loci, hec omnia prenominata habeant et teneant bene et in pace, libere et quiete, plenarie et integre et honorifice, in bosco et plano, in viis et semitis, in pratis et pascuis et pasturis, in aquis et molendinis, in vivariis et stragnis, cariis, in moris et mariscis, in terris et redditibus et homagiis et serviciis et releviis, in omnibus aliis rebus et locis ad eorum terras pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis. Precipimus etiam quod predicti monachi et homines eorum et res et possessiones eorum sint quiete de theloneo et pontagio et passagio et pedagio et pasitagio (sic) et summagio et de modiatione vini et de summonitionibus assise et de assisis et superassisis et aquagiis et de wreck maris et de inventione in mari et de focagio et cariagio et de tallagiis et auxiliis et exercitibus et equitatibus et de omnibus aliis secularibus exactionibus et operibus servilibus et de omnibus rebus quas quomodocumque emerint vel vendiderint vel deportare fecerint in nundinis et mercatibus in portibus maris tam per terram quam per aquam in omni loco potestatis nostre. Et prohibemus ne ponantur in placitum de aliquo tenementorum suorum in coram nobis vel coram capitali justicia nostra. Testibus, Waltero Rothomagensi archiepiscopo, Johanne Ebrocensi episcopo, H. Cestrie episcopo, Ricardo de Hulmes, Willelmo de Hulmez, constabularii, Willelmo filio Radulfo, senescalco Normannie, Willelmo des Forz, Rogges de Harecurt. Datum apud Rothomagum, per manum Willelmi de Longo Campo, Elyensis episcopi, cancellani nostri, XX. die Martii, regum nostri anno primo.